THESES THEOLOGICO-MORALES, QUAS ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO...

Domenico Scatolin

THESES
THEOLOGICO-MORALES.
QUAS

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.D.

PAULO FRANCISCO JUSTINIANO

EPISCOPO TARVISINO &c.

Prælato Domeſtico, & Pontificio Solio Epiſcopo Aſſiſtenti

D. D. D.

DOMINICUS SCATOLIN DE CAPELLETTA ANOALIS

SEMINARII TARVISINI ALUMNUS,

ET AUDITOR

IOANNIS BAPTISTÆ STRADIOTO CASALIENSIS

IN EODEM SEMINARIO THEOLOGIÆ MORALIS PROFESSORIS



TARVISII, MDCCLIII.

APUD SEBASTIANUM GRATIOLI

SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME PRÆSUL.

QUÆ conſtanter huc uſque in umbra privatæ ſcholæ delituerat publicam lucem, concertationemque extimeſcens, *Moralem Theologiam* tuis nunc primum auſpiciis, tuoque juſſu in diſcrimen produximus, pugnamque, Præſul Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime. Eorum, quorum mihi pro lege & eſt, & eſſe debet voluntas, fecit, ut onus, quod detrectare pro ingenii mei

imbecillitate ſatius certe fuerat, niſi fuiſſet jubentibus obedire glorioſius, audacter ſuſciperem ſelectas ex Tractatione de Legibus propoſitiones nonnullas in hoc ampliſſimo loco defendendas. facitque inſignis humanitas Tua, ut primum hunc, qualiſcunque is demum ſit, laborum, induſtriaque meæ offeram tibi fructum, ac dedicem. Quam totum hoc eſt infra dignitatem, infra meritum tuum! Et quantum muneris præſtas, dum tam benigne tenue hoc obſequii mei argumentum, quaſi aliquod non te prorſus indignum munus, acceptas! Cedis nimirum, cedis, Illuſtriſſime Præſul, affectibus noſtris, & ut audeamus aliquid etiam parvum conari, pro magno habes, id omne quod eſt a nobis. An aliud faceres, cum nos omnes veluti filios Pater complecturis; cum omnes tuæ cogitationes, curæque in tam varia negotiorum, ac moleſtiarum mole in id præcipue converſæ ſint, ut felices nos velis, & facias; cum tibi placere unica hac ratione poſſimus, ſi labore, ſtudio, modeſtia dignos nos eſſe probemus, qui aliis non diſpliceamus? Utinam vero quam facile ſingularis humanitas Tua excuſatam in hoc nomini tuo dicando libello habet audaciam, tam facile eximia doctrina tua meum in diſputando ferre poſſit ingenium! Scio enim, non tam quid vires meæ pati poſſint, quam quid excultiſſimis auribus debeatur tuis, quem & Epiſcopum vigilantiſſimum veneror, & doctiſſimum ſimul judicem timeo, hoc in loco, in hac frequentia, Te auditore, Te Præſide de graviſſimis rebus diſputaturus. Agnoſco enim me tuum; agnoſco his blandiorem nominibus titulum; & tanto minus ſeverum officii exactorem futurum Patrem confido, quanto doctiorem, eruditioremque cognoſco. Accipe igitur hoc totum, qualecumque futurum eſt, animi, obſervantiæque meæ argumentum præſentis, pignus futuræ; ut tantum de te reliqui ſperare diſcant, quantum in me viderint eſſe collatum.

CUM

I.

CUM juri operam daturum prius noſſe oportet unde nomen juris deſcendat (1): tum legum naturam, ac vim inveſtigantes in illud principio inquirere debent, a qua leges omnes, ceu a prima, propriaque origine proficiſcantur. Omnium itaque primam, ceterarumque fontem legem Dei æternam aſſerimus; *in temporali enim lege nihil eſt juſtum, atque legitimum, quod non ex hac æterna ſibi homines derivaverint ...... ea ſiquidem eſt, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima.* (2)

(1) l. 1. ff. de juſt. & jure.

(2) S. Aug. lib. 1 de lib. arbit. cap. 6.

II.

Ab æterna Divina lege primum deſcendit lex naturalis, quæ *non ſcribitur, ſed innaſcitur, nec aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur* (3). Hac lege, quam S. Aug *tranſcriptionem æternæ legis* appellat (4); & S. Thom *participationem* dicit *legis æternæ in creatura rationali* (5) hac, inquam, lege ita Deus naturæ auctor illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut nemo hominum ſit, qui prima ipſius principia, aut primas inde deductas univerſales concluſiones invincibiliter ignorare poſſit.

(3) S. Amb. lib. 9. ep. 71.

(4) lib. 83 quæ. quæ 58.

(5) 1 2. quæ. 91 art. 2.

III.

Profluunt deinde ab eadem lege æterna Divinæ tum Veteris, tum Novi Teſtamenti: præſtantiores illæ quidem, & ſanctiores, quæ in Novo continen-

tur;

tur; at ſanctæ quoque, & Divinæ Teſtamenti veteris, de quibus Apoſtolus: *itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum* (1). Illæ tamen in ſæculi finem duraturæ ſunt; hæ vero, Hebræorum deficiente Sacerdotio, ceſſaverunt, nec amplius vim obligandi habent.

(1) Rom 7.

IV.

Quemadmodum ab æterna Divina Divinæ emanant poſitivæ leges, ita a lege naturali leges deſcendunt poſitivæ humanæ tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles. *Ex præceptis legis naturalis, quaſi ex quibuſdam principiis communibus, & indemonſtrabilibus neceſſe eſt, quod ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter diſponenda: & iſtæ particulares diſpoſitiones adinventæ ſecundum rationem humanam, dicuntur leges humanæ* (2). Omnium autem humanarum legum, non Eccleſiaſticarum modo, ſed Civilium etiam idem finis eſt, æterna ſcilicet hominum beatitudo: illarum tamen proximus, harum remotus. proximus vero communitatis bonum, & felicitas ſocietatis.

(2) D. Thom. 1. 2. quæ. 91. art. 3.

V.

Sicuti Eccleſiaſticarum, & Civilium legum varius eſt finis proximus, ita objectum varium. Rebus ſpiritualibus Eccleſiaſticæ, temporalibus Civiles leges proſpiciunt. Optime de hac re ad Conſtantinum Imperatorem S. Athanaſius in ſua Apologia: *tibi Deus Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit; neque enim fas eſt in terris nos Imperium tenere, neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes.*

Hu-

Google

VI.

Humanarum autem legum tanta utilitas eſt, tantaque neceſſitas ad ſocietatem tuendam, homineſque in finem ſuum dirigendos, ut ipſarum condendarum poteſtatem Principibus viris contulerit Deus, & pœnas ab iis ſe repetiturum edixerit, qui illorum præcepta, aut contempſerint, aut neglexerint. *Omnis anima*, inquit Apoſtolus (1), *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt à Deo ordinatæ ſunt. Qui autem poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ſibi ipſi damnationem acquirunt*. Sive igitur Eccleſiaſtica lex ſit, ſive temporalis, ea vim habere poteſt obligandi etiam in conſcientia.

(1) Rom. 13

VII.

Nec iccirco tali poteſtate deſtituuntur, qui communitati præſunt, quia infideles ſint, hæretici, aut gravi ſcelere inquinati. *Deus enim dat felicitatem in regno Cælorum ſolis piis: regnum vero terrenum, & piis, & impiis, ſicuti ei placet, cui nihil injuſte placet* (2). Merito itaque Concilium Conſtantienſe (3) damnavit 15. prop. Joan. Wicleffi *Nullus eſt Dominus Civilis, nullus Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali*.

(2) S. Aug. lib. 5. de Civit. Dei cap. 21.
(3) Seſſ. 8.

VIII.

Tametſi vero, & legum ferendarum poteſtate donati ſint tum Eccleſiæ, tum ſæculi Principes, & leges ipſæ ab iis conſtitutæ ſubditorum animas obligare poſſint; hanc tamen virtutem non habent

 an-

antequam communitati per promulgationem inſinuatæ fuerint (1): *imponitur enim lex per modum regulæ, & menſuræ: regula autem, & menſura imponitur per hoc, quod applicetur his, qui regulantur, & menſurantur..... unde promulgatio neceſſaria eſt ad hoc, quod lex habeat ſuam virtutem* (2). Eſt igitur neceſſaria promulgatio, ut leges tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles vim obligandi habeant.

(1) cap. 1. de Poſtul. Præl.

(2) D. Thom. 1. 2. quæ 90. art. 4.

IX.

Dum dicimus autem humanas leges ante promulgationem non obligare, non ii ſumus, qui exiſtimemus, ideo leges promulgandas eſſe, ut eas populus acceptet: novimus enim, hanc fuiſſe ab Alex. VII. damnatam prop. N. 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſſa non recipiat legem a Principe promulgatam*. Hoc igitur ſentimus: nullius Epiſcopi, nullius item Principis legem a populi acceptatione pendere.

X.

Eccleſiaſticæ itaque, & Civili etiam legi, cum promulgata fuerit, parendum eſt. Eccleſiaſticam tamen ſi ſpectes, non externos tantummodo actus præcipere, & prohibere poteſt, a quibus univerſus pendet ſocietatis ordo neceſſario, & inſtituendus, & cuſtodiendus; verum etiam internos, qui ad illorum naturam neceſſarii ſunt, vel tanquam diſpoſitiones cum iiſdem connectuntur. Pertinet huc prop. 14. ab Alex. VII. damnata: *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*.

Illud

XI.

Illud etiam affirmare quis vetet, poſſe Eccleſiam eos quoque internos actus præcipere, & prohibere, qui cum ad externos non referantur, mere interni vocari conſueſcunt? Facultatem profecto hominum in finem ſuum dirigendorum, quam accepit Eccleſia a Chriſto Domino dicente ſibi: *Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cælis* (1); hiſce limitibus non novimus eſſe circumſcriptam. Hos igitur præcipere, & prohibere poſſe opinamur.

(1) Matth. 16.

XII.

Eſt lex, D. Thom. definiente (2), *quædam regula, ſeu menſura actuum, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab eo retrahitur*. Cum hac regula tanta eſſe debet actionum noſtrarum connexio, ut eas tantummodo bonas dicere debeamus, quæ alicui legi conformantur; quæ adverſantur autem, vel non conformantur, malas dicere oporteat. Hinc idem Angelicus Doctor (3): *cum enim rationis ſit ordinare, actus a ratione deliberata procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali*. Nullos igitur aſſerendos eſſe putamus actus in individuo indifferentes.

(2) 1. 2. quæ. 90 art. 1.

(3) 1. 2. quæ. 18. art. 9.

XIII.

Sunt porro humanæ leges aut perſonales, aut locales: illæ perſonam etiam extra locum comitantur: hæ quandiu in territorio eſt, cujus fines ſi

præ-

prætergrediatur, ſecum non defert legis obligationem. *Extra territorium enim jus dicenti non paretur impune*. (1)

(1) cap ut animarum de Conſtit. 6.

XIV.

Hoc tamen non ita aſſerimus, ut poſſe quenquam judicemus ſine cauſſa, & ſola patriæ legis declinandæ voluntate, in alienum territorium ſe recipere: cum *certum ſit, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legislatoris nititur voluntatem* (2). Irritum hac de cauſſa declaravit Matrimonium Urbanus VIII (3), cujus ſola ineundi voluntate, eo ſe conferrent contrahentes, ubi decretum Concil. Trid. (4) promulgatum non eſt. Clemens quoque X. (5) illorum irritas eſſe decrevit Confeſſiones, qui, ut propriam legem devitent ad alienam Diœceſim confugiunt reſervatorum abſolutionem conſecuturi. Qui igitur e territorio diſcedunt ſola propriæ legis declinandæ cauſſa, fraudem facere dicimus, & in legem ipſam delinquere opinamur.

(2) Reg. ult. juris. 6.
(3) die 14 Aug. 1627
(4) Seſ. 24. de ref. matrim.
(5) Bulla Superna.

XV.

Vagi homines, qui nullibi domicilium habent: Peregrini item, qui territorium alienum ingrediuntur animo ad proprium revertendi, cujuslibet loci lege ſolutos nonnulli arbitrantur. Non id tamen S. Aug. arridet, inquit enim (6): *Diſciplina nulla eſt in his melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter*

(6) Ep. 54. ad Ianouar. alias 118. cap. 2

eſt

Google

eſt habendum, & propter eorum, inter quos vivitur ſocietatem, ſervandum eſt. Tanto itaque Doctori adhærentes aſſerimus, Vagos, & Peregrinos locorum legibus obligari, per quæ tranſeunt.

XVI.

Ex iis, quæ humanas actiones circumſtant, præſumunt interdum Legiſlatores, aliquid factum eſſe, ut olim Matrimonium præſumebatur, ſi Sponſi ſimul conveniſſent (1): interdum vero factum aliquod futurum arguunt, ut Concil. Trid (2) ubi ex clandeſtinis Matrimoniis futurum præſumit, ut priore conjuge relicta, cum qua clam initum Matrimonium erat, novum palam contrahatur. Leges propterea ſanciunt his præſumptionibus conſentaneas. Si itaque altera præſumptio, quæ facti dicitur, aliquod particulare factum indicet, quod non extiterit, lex obligandi vim amittit (3), juxta illud: *præſumptio cedere debet veritati*: niſi forte ob ſcandalum vitandum ſervanda eſſet (4). Si præſumptio altera in particulari aliquo caſu falſa ſit, adhuc ſervanda lex eſt, juxta illud: *ceſſante cauſſa in univerſali ceſſat lex: non ceſſat autem ceſſante in particulari.*

(1) cap. veniens, aliiq. de Sponſ. & Matrim.
(2) Seſ. 24. de Ref. Matrim.
(3) arg. cap. Inquiſitioni de ſent. exom.
(4) arg. Math. 18

XVII.

Non ſolum præcipiendi, verum etiam puniendi facultate donati ſunt humani Legiſlatores. Factæ ſunt leges, inquit S. Iſidorus (5), *ut earum metu humana coerceretur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis, formidato ſupplicio, refrenetur nocendi facultas.* Hoc tametſi Catholici fateantur

(5) Lib. 5 Etym. cap. 20.

teantur omnes, atque in eo etiam conſentire videantur, poſſe Eccleſiaſticas leges ad culpam ſimul, & ad pœnam obligare: illud tamen perinde omnibus certum non eſt, pari virtute donatas eſſe Civiles leges. Eorum, qui negant rejicimus ſententiam; inquit enim Apoſtolus (1) *Neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

(1) Rom. 13.

XVIII.

Poſſe tamen Legiſlatores tum Eccleſiaſticos, tum Civiles ferre leges etiam mere pœnales non diffitemur, quotieſcunque id poſtulet ſocietatis bonum, juxta illud (2): *Sine culpa, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliquis puniendus*. Perdifficile tamen judicamus, leges has, ſi quæ ſint, a ceteris ſecernere: imo in dubiis nullam legem mere pœnalem præſumendam eſſe defendimus.

(2) Reg. 23. juris 6.

XIX.

Tametſi nemo, niſi peccatum fecerit, proprie dicta pœna multandus ſit, ideoque ignorantia, quæ a peccato excuſat, a pœna quoque errantem immunem faciat: *omnis enim pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur* (3); ſolius tamen pœnæ inculpata ignorantia eum pœna ipſa non liberat, qui ſuam actionem humanæ legis gravi præcepto contrariam eſſe animadvertit. Ab his vero excipiendæ ſunt *ſententiæ per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatæ*. (4)

(3) S. Aug. lib. 1 retract. cap. 9.

(4) cap. ut animarum de Conſtit. 6.

Pœnæ

XX.

Pœnæ aliæ latæ, aliæ ferendæ ſententiæ ſunt. Poſteriores ante ſententiam, quam dicunt condemnatoriam, vim obligandi non habent (1). Primis vero, niſi privent re legitime poſſeſſa, ſtatim ſui violatores ſubjiciuntur (2): ſi autem privent re legitime poſſeſſa, requirunt ſententiam, quam declaratoriam vocant (3): niſi forte lex ipſa talem ſententiam excludat. (4)

(1) D. Thom. 2. 2. quæ. 62. art. 3

(2) cap. cum ſingula de Præb. & Dignit. 6

(3) cap. cum ſecundum, de hæreticis 6.

(4) extravag. Ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alienandis

XXI.

Omnes, qui legibus obtemperare debent, pœnis quoque obſtringuntur, ſi leges violent eaſdem infligentes. Unum exceptum volumus Legislatorem. Quamvis enim ad leges ſuas proprias debeat actiones conformare: *digna quippe vox eſt Majeſtatis Regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri* (5); attamen pœnis a ſe latis non coercetur. *Princeps dicitur ſolutus a lege quantum ad vim coactivam legis: nullus enim proprie cogitur a ſe ipſo*. (6)

(5) l. 4. C. de legibus

(6) S. Thom. quæ. 96 art. 5. ad 5.

XXII.

Idem Legislator ſicuti ferendæ legis, ita eaſdem revocandi, & in iis diſpenſandi facultatem habet. *Eſt enim Princeps ſupra legem, in quantum ſi expediens fuerit, poteſt legem mutare, & in ea diſpenſare pro loco, & tempore* (7): attamen peccat ſi diſpenſet ſine cauſſa. *Ubi neceſſitas urget*, inquit S. Bernad. (8), *excuſabilis diſpenſatio eſt: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas, dico, communis,*

(7) D. Thom. 1 cit.

(8) lib. 3 cap. 4 de Conſid

non

non propria ; nam cum nihil horum eſt , non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.

XXIII.

Sed ne illud quidem probabile eſſe opinamur, homines eum ſolvere poſſe, quem Divinæ leges obligarunt : inquit enim Urban. II. (1) *Ubi aperte Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius, quod prædicatum eſt uſque ad animam, & ſanguinem confirmare debet*. Nullam igitur eſſe exiſtimamus humanam poteſtatem, quæ in lege Divina proprie dictam valeat concedere diſpenſationem.

(1) relomdunt quidam 25. quæſt. 1.

XXIV.

Multo vero minus proprie dictam diſpenſationem in lege naturali admittendam eſſe judicamus. Cum enim lex naturalis quædam *participatio ſit legis æternæ* (2), ejuſdemque *tranſcriptio* (3): lex autem æterna *variari omnino non poſſit* (4); lex naturalis quoque perpetua eſt, atque immutabilis, & niſi temporum, locorum, aut hominum ſtatus varientur, quod ſemel eſt cum ea conſentaneum, nunquam poteſt eſſe diſſentaneum.

(2) S. Thom. 1. 2. quæſt. 91. art. 2.
(3) S. Auguſt. lib. 83 quæſt. quæſt. 58.
(4) S. Auguſt. lib. 1. de lib. arb. cap. 6

FINIS.

494404